An. et vol. XXXVII — 27 Septembris 1945 — (Ser. II, v. XII) – Num. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM. — Acta Pii Pp. XII: Constitutio Apostolica, p. 225 - Litterae Apostolicae, p. 227 - Epistulae, p. 229. — Acta SS. Congregationum: *S. C. Rituum*: Decreta in causis beatificationis Servorum Dei, p. 234. — Diarium Romanae Curiae: Segreteria di Stato: Nomine - Necrologio, pp. 246-248.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XLV

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Vaticana — Città del Vaticano

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 100 — extra Italiam, *L. it.* 200 —
Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 15 — extra Italiam, *L. it.* 25 —

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

Conto corrente con la Posta

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXVII, n. 9 - 27 Septembris 1945)

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIO APOSTOLICA

PAG.

Kilmoren. - Canonicorum Capitulum in Cathedrali Ecclesia Kilmorensi erigitur seu restituitur. - *10 Martii 1945* . . 225

LITTERAE APOSTOLICAE

In Hydruntinae Archidioeceseos. - Templum Cathedrale Hydruntinae Archidioeceseos ad Basilicae Minoris titulum ac dignitatem evehitur. - *12 Iulii 1945* 227

EPISTULAE

I. *Laeti accepimus.* - Ad Emum P. D. Alaphridum tit. S. Martini in Montibus S. R. E. Presbyterum Card. Schuster, Archiepiscopum Mediolanensem, ob quartum Conventum Eucharisticum e tota Mediolanensi Archidioecesi Modoetiae celebrandum. - *24 Augusti 1945* 229

II. *Tria saecula.* - Ad Excmum P. D. Carolum Mariam della Torre, Archiepiscopum Quitensem, ceterosque in Aequatoriana Republica Episcopos et locorum Ordinarios: tertio revoluto saeculo ab obitu Beatae Mariannae a Iesu de Paredes. - *1 Septembris 1945* 231

III. *Non sine peculiari animi.* - Ad Emum P. D. Franciscum tit. Sanctae Caeciliae S. R. E. Presbyterum Card. Marmaggi, Praefectum Sacri Consilii disciplinae Cleri populique moderandae, quintum emensum feliciter Episcopatus lustrum. - *1 Septembris 1945* 232

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Albanen.* - Decretum declarationis martyrii Ven. Servae Dei Mariae Goretti, Virginis saecularis. - *25 Martii 1945* 234

II. *Surinamen. seu Buscoducen.* - Decretum de virtutibus pro beatificatione Ven. Servi Dei Petri Donders, sacerdotis professi Congregationis Ssmi Redemptoris. - *25 Martii 1945* . . 237

III. *Neapolitana.* - Decretum de virtutibus pro beatificatione Ven. Servae Dei Catharinae Volpicelli, fundatricis Instituti Ancillarum a Sacro Corde. - *25 Martii 1945* 240

IV. *Sabinen. seu Ripana.* - Decretum introductionis causae pro beatificatione Servi Dei Ioannis a Spiritu Sancto, Sacerdotis professi Congregationis Clericorum Excalceatorum SS. Crucis et Passionis D. N. I. C. - *11 Maii 1945* 243

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Segreteria di Stato: *Nomine* 246

II. Necrologio 248

An. et vol. XXXVII 27 Septembris 1945 (Ser. II, v. XII) – Num. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIO APOSTOLICA

KILMOREN.

CANONICORUM CAPITULUM IN CATHEDRALI ECCLESIA KILMORENSI ERIGITUR SEU RESTITUITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ex antiqua Ecclesiae consuetudine et sacrorum canonum praescripto Canonicorum Capitula in Cathedralibus Ecclesiis sunt constituenda, ut et Episcopi ecclesiasticorum virorum pietate ac doctrina praecellentium senatum habeant, qui eos in Dioecesi regenda opera consilioque adiuvent, et divini cultus splendor in Cathedralibus ipsis magis augeatur. Ad quae assequenda venerabilis Frater Patritius Lyons, Episcopus Kilmorensis, ab hac Apostolica Sede expostulavit ut Canonicorum Capitulum in sua Cathedrali Ecclesia erigatur seu restituatur. Nos autem, hoc peropportunum fore rati, suffragante venerabili Fratre Paschale Robinson, Archiepiscopo titulari Tyanensi, Nuntio Apostolico in Hibernia, omnibus mature perpensis, oblatis precibus annuendum censuimus. Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, Capitulum in Cathedrali Ecclesia Kilmorensi erigimus seu restituimus, duabus constans Dignitatibus, Decani videlicet et Archidiaconi, atque tredecim Canonicis, quorum uni Theologi, alteri Poenitentiarii officium committatur, iuxta

can. 398, § 1, Codicis Iuris Canonici. Quibus autem Dignitatibus et Canonicis iura omnia ac privilegia tribuimus, quae ceteris Capitulis Cathedralibus Hiberniae ex iure communi vel legitima consuetudine competunt. Quoniam vero deficiunt in praesens canonicales praebendae ac praeterea presbyteri in Canonicos eligendi aliis ecclesiasticis muniis, praecipue animarum curae, vacare debent, ex quibus quae ad vitam sunt necessaria ipsis proveniunt, eosdem Capitulares, quousque erecti canonicatus congrua praebenda aucti non fuerint, a residentia penes Cathedralem Ecclesiam et ab oneribus choralibus interea eximimus et dispensamus, exceptis aliquot solemnioribus festis Episcopo statuendis, facta tamen eidem Episcopo facultate Canonicos convocandi quoties id opportunum vel necessarium ipse iudicaverit ad Capituli vel Dioecesis negotia agenda, de quibus, ex sacrorum canonum praescripto, Capituli sententia est exquirenda. Mandamus insuper ut omnium dignitatum et canonicatuum collatio, postquam praebendae constitutae fuerint, ad iuris tramitem fiat cum reservationibus in Codice Iuris Canonici statutis; interim vero, perdurante scilicet praebendarum defectu, indulgemus ut Episcopus canonicatus libere conferat, non autem dignitates, quarum collatio Apostolicae Sedi ad iuris normam reservata est; hac tamen prima vice facultatem Episcopo tribuimus Decanum quoque et Archidiaconum nominandi. Semper autem servetur praescriptum fidei professionem et iuramentum antimodernisticum iuxta statutas formulas ante beneficii possessionem emittendi. Cum autem decorum sit ut qui in Episcopi consilium ac senatum adsciscuntur vestibus quoque a ceteris distinguantur et peculiaribus insignibus condecorentur, concedimus ut Dignitates et Canonici Kilmorenses in functionibus capitularibus, intra propriae Dioecesis fines dumtaxat, deferre queant vestem talarem nigram cum ocellis, globulis, torulo et subsuto rubini coloris, rochetum, palliolum (vulgo *mozetta*) rubinum lana limbatum, et biretum nigrum flocculo ornatum coloris rubini. Volumus porro et mandamus ut quam primum fieri poterit Capitulares Constitutiones condantur, quas, ab Episcopo rite adprobatas, ab omnibus postea Dignitatibus et Canonicis religiose servari iubemus. Ad quae omnia ut supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem quem supra diximus Fratrem Paschalem Robinson, Nuntium Apostolicum in Hibernia, deputamus, eique propterea omnes ad id necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, facto eidem onere ad S. Congregationem Consistorialem authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar quam primum fas

erit transmittendi. Decernimus denique praesentes Litteras firmas, validas et efficaces exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac declaramus; contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis vel excerptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce praesentibus tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam erectionis, constitutionis, statuti, concessionis, commissionis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo quinto, die decima Martii mensis, Pontificatus Nostri anno sexto.

Pro S. R. E. Cancellario
I. Card. GRANITO DI BELMONTE
Decanus S. Collegii

Fr. RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis

Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*
Alfridus Vitali, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Can. Ap., vol. LXIX, n. 50 - Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

TEMPLUM CATHEDRALE HYDRUNTINAE ARCHIDIOECESIS AD BASILICAE MINORIS TITULUM AC DIGNITATEM EVEHITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — In Hydruntinae Archidioeceseos Cathedrali templo sacrae asservantur Reliquiae Beatorum Octingentorum Martyrum qui pro Fide et pro patria sanguinem suum fuderunt. Eosdem gloriosos catholici nominis Athletas summa christifideles pie-

tate ac veneratione prosequuntur ob gratias atque beneficia quibus, eorundem Sanctorum Martyrum intercessione, ab omnipotenti Deo donati fuerunt, quin immo locupletati. Quod quidem saepenumero, potissimumque experti sunt duobus proximis bellis universis, quibus saevientibus furentibusque, quamvis Hydruntina civitas iterum iterumque terribilibus aëriarum navium incursibus obnoxia fuerit, e plurimis, maximi etiam ponderis, ignivomis telis superne ruentibus, ne unum quidem intra urbis moenia cecidit, sed omnia in altas maris abyssos demersa sunt. Cum vero, eodem testante Praesule, Beatorum Hydruntinorum Martyrum cultus et veneratio ultra Archidioecesis fines longe lateque propagata fuerint, aliarum quoque regionum incolae, velivolorum minis periculisque territi, ad tuendam servandamque vitam, Beatorum Martyrum patrocinio tutelaeque confisi, Hydruntum confugerunt. Huc etiam accedit quod laudatus Hydruntinus Antistes Archidioecesis suae templo maximo titulum ac dignitatem Basilicae Minoris iure apteque congruere declarat. Hydruntina enim Cathedralis Ecclesia iam inde a saeculo decimoprimo tam affabre exstructa fuit, ut viri artibus periti ad eam invisendam admirandamque Hydruntum adire assueverint hodieque frequenter soleant; tribus alis magnifice exaedificatum, templum idem artis operibus renidet; insignem cryptam ostentat quae, septuaginta quinque columnis concinne ornata, visentium oculos animosque oblectat, non secus ac pavimentum vermiculatum, mirabili effictum arte, in quo series descripta conspicitur illorum hominum quos Veteris ac Novi Testamenti aevum complectitur. Haec omnia prae oculis habens, Hydruntinorum Antistes enixe a Nobis postulat ut Archidioecesis suae Cathedrale templum ad Basilicae Minoris dignitatem evehere dignemur. Nos autem, quibus nihil antiquius esse potest quam ut christifidelium pietas erga Deum Coelicolasque maius ac maius in dies incrementum capiat, huiusmodi supplicationibus ultro libenterque obsecundare statuimus. Quamobrem, omnibus rei momentis sedulo perpensis, auditoque Venerabili Fratre Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Episcopo Praenestino, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque Nostrae Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, perpetuumque in modum, templum Cathedrale Archidioeceseos Hydruntinae ad titulum Basilicae Minoris dignitatemque extollimus. Haec largimur, statuimus, contrariis quibuslibet nihil obstantibus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque effectus plenos atque integros sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum ple-

nissime suffragari; sicque rite iudicandum esse et definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII mensis Iulii, anno MCMXXXXV, Pontificatus Nostri septimo.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status
DOMINICUS SPADA.

EPISTULAE

I

AD EMUM P. D. ALAPHRIDUM TIT. S. MARTINI IN MONTIBUS S. R. E. PRESBYTERUM CARD. SCHUSTER, ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM, OB QUARTUM CONVENTUM EUCHARISTICUM E TOTA MEDIOLANENSI ARCHIDIOECESI MODOËTIAE CELEBRANDUM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Laeti accepimus, laetiores legimus litteras, per quas sollerti, ut assolet, cura certiores Nos fecisti Modoëtiae quartum apparari e tota Mediolanensi Archidioecesi Eucharisticum Conventum, quem sacrorum rituum splendore, Praesulum, clericorum, populi frequentia, habendorum sermonum praestantia et copia fore spectabilem prospicis. Quibus festis augusto Sacramento dicandis auspicari vis reparandae opera pacis, confecto bello, quod Italiae fines cladibus et stragibus cumulavit ac, non sine Dei nutu, Longobardorum regioni maximam partem pepercit, quamvis istic quoque diuturnae conflictationis sentiantur effectus ac multae domus amissorum militum funestatae sint luctibus. Debitae cape munera laudis, quod tam salutare inivisti consilium, quod quidem, novum pastoralis tui studii documentum, certe animo tuo afflavit Princeps pacis, qui tutissima est etiam pax nostra. Modoëtiae conventuris « orietur vobis sol iustitiae »[1] vosque, belli abactis terroribus, novis luminis et caloris spiculis recreabit; qua circumfusa laetitia, experiemini perquam dulce esse attrahi a Christo, eius vereri praecepta eiusque gratia affluere. Internecivis depositis armis, decet homines sanctae unitatis nexibus coalescere et, post-

[1] MAL. 4, 2.

quam sunt dura discordiarum mala perpessi, invicem se coniungere et Deo iungi. Hanc autem fraternae dilectionis consensionem quid potius gignit et servat quam Ss. Eucharistiae Sacramentum, quod firmissimum est vinculum caritatis? Huius religionis honore incolumi contingit, ut sponte et natura sua vigeant singuli christifideles, vigeant familiae et Civitates, comparato sibi augescenti virtutis vigore. Quodsi hominum instituta veterascunt et decidunt immodico et improbo amore sui, eadem ad celsiores formas provehuntur vi et excellentia sacrificii, quae nusquam efficientior emanat et scaturit quam e recensitis Dominicae Mortis Mysteriis. Magno animi Nostri moerore comperimus in nonnullis Insubriae partibus increbrescere multitudinem eorum qui sacra morum praecepta obliti, fas et nefas aequantes, sese in voluptatum gurgitem coniciunt et prava ordinis socialis instituta sequuntur: comperimus praeterea hic illic odii et ultionum aestum nondum omnino esse sopitum. Quam ob rem ut deerrantes ad rectum tramitem convertantur, Eucharistici Conventus data occasione, magnopere connitendum est, ut iis a miserentissimo Deo devocentur uberioris supernae gratiae lumina et auxilia, expeditiones ad populi pietatem colendam studiosissime apparari pergant atque, praesertim opifices, quotquot catholici non tantum nomine sed re quoque esse volunt et debent, apte instruantur, ut quaestio quae vulgo appellatur socialis ad catholica placita exsolvatur itemque Civitas temperetur. Est Modoëtiae, in urbe rebus gestis ac sacris civilibusque monumentis praeclara, cur ad ea quae huius temporis discrimina exigunt, felicia sumantur auspicia. Numquam occidua illic superest memoria reginae Theodolindae, quae Gregorii I Pont. Max. fidelissima fautrix, blando regalis humanitatis nitore et placidae sapientiae praesagis consiliis usa, ferocem Longobardorum tribum Evangelii lege lenivit eandemque cum Latinis indigenis componere studuit. Pernobilis feminae principis insecuta vestigia, tota Insubria priscae virtutis et gloriae memor inter Italos dissensionibus et discidiis laborantes pacem alat, pacem serat, pacem tueatur, cum ipsa suo exemplo docere debeat libertatem veri nominis tum consistere, si in iustitia et in superni Numinis agnita reverentia fundetur. Multum igitur optamus, ut stata celebritas votis tuis ubertim respondeat atque universis, qui tecum Modoëtiam Ss. Eucharistiam veneratum petent, erga hanc pietas foveatur et strenue agendi pro re catholica studium succrescat. Quo autem spiritalium fructuum gratia copiosior deveniat, tibi facultatem facimus, ut, quo volueris die, pontificali sollemni ritu peracto, Nostro nomine Nostraque potestate adstantibus christifidelibus benedicas, proposita plenaria indulgentia suetis condicionibus lucranda. Nihil demum Nobis reliquum est, nisi ut tibi, Dilecte Fili Noster, sacris Pastoribus,

clericis et christifidelium multitudini illic interfuturis Apostolicam Benedictionem, caelestium munerum pignus, impertiamus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIV mensis Augusti, anno MDCCCCXXXXV, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. XII

II

AD EXCMUM P. D. CAROLUM MARIAM DELLA TORRE, ARCHIEPISCOPUM QUITENSEM, CETEROSQUE IN AEQUATORIANA REPUBLICA EPISCOPOS ET LOCORUM ORDINARIOS: TERTIO REVOLUTO SAECULO AB OBITU BEATAE MARIANNAE A IESU DE PAREDES.

PIUS PP. XII

Venerabiles Fratres et dilecti Filii, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Tria saecula a die natali Beatae Mariannae a Iesu de Paredes fauste revoluta silentio praetergredi non sivistis, sed, vobis auctoribus, tum Quiti tum in aliarum Dioecesium praecipuis urbibus, multa cum christifidelium frequentia, sacra sollemnia celebrantur, ut inclitae illi Virgini digna praestentur obsequia. Volumus et Nos vobiscum pia memoria recolere lectissimum florem, qui in alma Aequatoriana regione, fovente caelestis gratiae calore, canduit aemulus S. Rosae a Lima, quae quidem virtutum venustate et fragrantia Australem Americam decorat. Habuit B. Marianna quod huic saeculo saepius Dei supernaeque legis immemori ac in voluptatum illecebras praecipiti et exemplo et medicamini sit: mire enim inerat in ea amor Dei et proximorum, inerant studium precum et egregia voluntas pro aliena salute ac felicitate sese piacularem victimam devovendi. Tanta praeterea ipsa nituit innocentia et pudicitia, ut Quitense lilium honorifica appellatione vocetur, eandemque austera disciplina sepivit, qua volenti animo amara duraque aliunde profecta sustinebat et sibi ipsi sponte inferebat; laeta crucis sarcinam gestabat et, terrestribus bonis despectis, caelestibus iugiter inhiabat. Ad eam respiciant Aequatorianae terrae incolae atque haud frustra ipsius tutela confisi, si eam bene colant, eius sequantur magisterium. Profecto non modo philosophiae et historiae institutis, sed cotidiano vitae usu manifesto patet morum legem et intemeratae conscientiae dictamina id praecipue esse, quo homines naturae suae convenienter vivant, veri nominis humanitatem et cultum adipiscantur, solidas familias Civitatesque condant. At vero animorum probitas, constantia, iustitiae studium, quo suum cuique tribuitur, amoris sui maligna cupiditate dempta, ad commune bonum comparandum strenue inclinata voluntas, virtutes denique omnes,

quae vi sacrificii oriuntur, confirmantur, vigent, fallaces vel labiles sunt, nisi in honore sit apud omnes religio et erga summum Deum, tantae legis latorem et vindicem, iugis cultus in pectoribus omnium insideat et operibus prodatur. Deprecatrice B. Marianna, ac vobis, Venerabiles Fratres, hortantibus, Aequatoriani christifideles priscae memores gloriae, novo nisu religionis praecepta in publicos privatosque mores referre contendant et quidquid ab iis alienum est, contemnant et vitent. Sanctum sit ipsis fidem sacro baptismate datam exculta pietate et doctrina alere, domesticae consortionis vincula ad Evangelii dogma constituere, abiecto nuptiarum divortio, multorum malorum fonte et origine, catholicarum scholarum iura fortiter tueri, veritatem in libertatem vindicare, quidquid est honestum, amabile, bonae famae semper persequi. Quodsi fauste ita contigerit, dilectae Nobis Aequatorianae genti novum exorietur christianae felicitatis aevum, quod unitatis concordia mutui amoris et reverentiae nexibus cives sociabit et ad praeclara incepta compellet. Quod ut ad vota Nostra obveniat, B. Mariannae rite invocato auxilio, copiosa lumina et auxilia a Deo sedulis precibus devocamus; inque horum coelestium munerum pignus vobis, Venerabiles Fratres ac dilecti Filii gregibusque vestrae curae concreditis Apostolicam Benedictionem libenter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die 1 mensis Septembris anno MDCCCCXXXXV, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. XII

III

AD EMUM P. D. FRANCISCUM TIT. SANCTAE CAECILIAE S. R. E. PRESBYTERUM CARD. MARMAGGI, PRAEFECTUM SACRI CONSILII DISCIPLINAE CLERI POPULIQUE MODERANDAE, QUINTUM EMENSUM FELICITER EPISCOPATUS LUSTRUM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Non sine peculiari animi delectatione cognovimus, te exeunte hoc mense quintum ac vicesimum a suscepto episcopatu annum fauste feliciterque esse peracturum. Huius enim sacri eventus commemoratio iucundam Nobis praebet opportunitatem tibi existimationem ac benevolentiam, quibus a primis sacerdotii annis te affecimus, publice libenterque confirmandi atque declarandi. Temet ipsum sane in ipso iuventutis flore, postquam Sacrae Poenitentiariae Apostolicae officialis fueras, Sacro Consilio extraordinariis obeundis Ecclesiae negotiis praeposito curam operamque una Nobiscum navantem per plures annos conspeximus. Ipse interea,

egregia pietate ac proximorum caritate flagrans, varia instituta atque consociationes ad iuvenum et opificum mores perficiendos in Urbe exstantia, praesertim in regione Transtiberina sollicita cura fovebas, nonnullis sessionibus consultorum, ad Codicem iuris canonici apparandum adiutor assistebas et coetum christianae doctrinae Romae tradendae participabas. Has quidem inter ceteras laudes Decessor Noster fel. rec. Benedictus XV probe agnoscens, priore Europaeo bello cum tot luctibus cladibusque exhausto, te, archiepiscopali dignitate exornatum, Nuntium Apostolicum apud Romaniae Regnum nominavit. Tum vero Pius XI ven. mem. ad Nuntiaturam Apostolicam Pragensem ac deinde ad Varsaviensem te benigne transferre voluit. Hisce quidem in muneribus persolvendis virtus tua ac sollertia fidelisque cum Apostolica hac Sede coniunctio luculenter enituere. In Polonia autem, paulo ante in libertatem vindicata atque sui iuris effecta, diuturnae veterisque servitutis cicatrices adhuc exstabant et recentis belli vulnera nondum sanata videbantur. Tu igitur, inter tot rerum locorumque difficultates, recentibus vestigiis primi in Polonia restituta Apostolici Nuntii, postea Summi Pontificis, alacriter inhaerens, constantem Polonorum amorem erga Romanam Ecclesiam exacuisti, Actionem Catholicam amplificandam curasti et omnium animorum concordiam acri sollicitudine promovisti. Praeclara huiusmodi opera idem Pius XI rependere cupiens, te ad amplissimum Ecclesiae Senatum cooptavit ac Romana purpura condecoravit. Nos autem, tot merita tua plane cognita habentes, praeficere te voluimus Sacro Consilio disciplinae cleri populique tuendae, cui quidem frugifera sedulitate iugiter incumbis. Quapropter tibi, Dilecte Fili Noster, de sacri istius eventus faustitate magnopere gratulamur, eiusque celebrationem laetis secundisque votis prosequimur. Deum itaque impensa prece exoramus, ut caelestium donorum copia te ac tuos carissimos ditare benigne velit, simulque pia consilia atque incepta tua fortunet. Cuius quidem superni praesidii opisque in auspicium, inque peculiaris Nostrae benevolentiae pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili Noster, tuis laborum sociis, coniunctis et amicis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die I mensis Septembris anno MDCCCCXXXXV, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. XII

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

ALBANEN.

BEATIFICATIONIS SEU DECLARATIONIS MARTYRII VENERABILIS SERVAE DEI MARIAE GORETTI, VIRGINIS SAECULARIS.

SUPER DUBIO

An constet de martyrio eiusque causa et de signis seu miraculis in casu et ad effectum de quo agitur.

S. Robertus Bellarmino, Ecclesiae Doctor, commentans illud psalmi: *Me expectaverunt peccatores ut perderent me: testimonia tua intellexi,* scribit: « Non sine causa dixi: *Salvum me fac,* quoniam *pecca-*
« *tores* in loco opportuno ad capiendum *me expectaverunt,* ut tentationi
« consentire me facerent, et sic perderent me; sed ego gratia tua adiu-
« tus *testimonia tua intellexi,* idest, intellexi quid lex tua in tali articulo
« praeciperet, quid promitteret, quid minaretur » (Explan. in ps. 118 v. 95).

Maria Goretti, etsi puella adhuc duodecennis, probe intellegens quid lex Dei praeciperet, quid promitteret, quid minaretur, martyrium potius, effuso sanguine pati, quam foedari voluit, uti mox aperire nobis quidem iucundissimum, ipsi autem perquam honorificum est.

Corinaldi in oppido, non longe a Senogallia in Anconitana provincia, ex Aloisio Goretti ac Assumpta Carlini, honestissimis coniugibus, die 16 mensis Octobris a. 1890 nata est Maria, atque insequenti die baptismi sacramento abluta. Parentes eius probi ac frugi, fideique christianae observantissimi, filiolam verbo atque exemplo pie educare curaverunt.

Quum egestate premerentur, domo emigrare coacti sunt, atque prius in agrum « Colle Gianturco » in Praenestina Dioecesi, anno autem 1899 in loco « Ferriere di Conca » prope Neptunum, in Dioecesi Albanensi, domicilium constituere. Sequenti anno, Aloisius febre ex pestifero aere inducta, meningitide typhoque tentatus, piam mortem obivit, iuvenem

viduam sexque filiolos relinquens, quorum cura in Mariam recidit, quippe cum mater, ut familiam aleret, agrestibus laboribus dare operam cogeretur.

Altera familia eumdem colebat agrum in eademque domo diversabatur. Ex hac vitae consuetudine factum est ut huius familiae filius, iuvenis viginti circiter annos natus, insana libidine incensus, Mariae pudicitiae attentare machinaretur. Bis molimen nefarium moechus petulans in actum deducere aggressus est, mortem ei minitatus si quid matri patefaceret; sed nequidquam. Castissima enim puella, prudens supra aetatem, nimiam consuetudinem cum eo devitans, fortissime semper restitit, ac salacissimi viri incursus victrix frustrata est. Verum iuvenis a nefando proposito non destitit.

Die enim 5 Iulii anno 1902, dum una cum Mariae matre non longe a domo operatur in agro, repente, e vestigio domum advolat, Mariam, quae, in summa scala ante ostium, eiusdem iuvenis indusium sarciebat, etiam atque etiam advocat, renitentem arripit, intra domum vi pertrahit, atque impotenti libidine infanda tentat. Maria, virginali pudori consulens, cum vim vi repellere nequeat, iugi conatu nititur ut vestes, corpori adhaereant, saepius inclamans: *Non, non, non, Deus hoc non vult; hoc faciens, tu peccas; tu inferni reum te constituis,* ut mater ab eadem postea audivisse testatur, atque ipse sicarius in canonicis inquisitionibus confirmat. Hic, sua effrena cupiditate frustratus, quadrangula subula, quam paraverat, quatuor supra decem ictibus eam terebrat, atque semivivam prostratam relinquit.

Neptunum translata, sequenti die, Ecclesiae sacramentis refecta, amplissimam interfectori Christi exemplo veniam concedens, eique Paradisum exoptans, castissimam animam exhalavit.

Iusta funebria triumphali potius, quam luctuosae pompae, comparanda fuere, cuncto populo eam martyrem conclamante. Et merito quidem. Etenim Angelicus Doctor, cui omnes astipulantur theologi, docet: « Causa sufficiens ad martyrium non solum est confessio fidei, sed quae« cumque alia virtus non politica, sed infusa, quae finem habeat Chri« stum. Quolibet enim actu virtutis aliquis testis Christi efficitur, in « quantum opera, quae in nobis Christus perficit, testimonium bonitatis « eius sunt; unde aliquae Virgines sunt occisae pro virginitate, quam « servare volebant, sicut beata Agnes et quaedam aliae, quarum mar« tyria in Ecclesia celebrantur » (4 Sent. dist. 49 q. 5, art. 3 ad 9). Iamvero materiale martyrium, nempe occisio, est evidens. Nec minori evidentia constat formale martyrium sive ex parte occisoris, qui fassus est se voluisse nefandam cupiditatem explere atque puellam trucidasse.

quia haec noluit peccato consentire, sive ex parte victimae, ut manifeste patet. Martyrium itaque certissime comprobatur.

Quapropter in Albanensi Curia et, per Rogatoriales litteras, in Senogalliensi, annis 1935-36 informativi processus super martyrii fama ac super cultu nunquam praestito constructi sunt. Processiculus diligentiarum inanis fuit, quia puella scribere nesciebat, uti constat quoque per decretum diei 18 Novembris a. 1936.

Servato iuris ordine, die 1 Iunii a. 1938 causa fuit introducta, eodemque die Pius XI fel. rec. commissionem eiusdem Introductionis Sua manu subsignavit. Edito die 16 sequentis mensis decreto super oboedientia Urbani VIII legi de cultu Servis Dei non praestando, Remissorialium litterarum vigore, in Albanensi prius, in Romana posten Curia, Apostolicae inquisitiones fuerunt adornatae. Diebus 20 Novembris a. 1940 ac 25 Aprilis a. 1941 edita sunt decreta pro iuridico valore processuum cum Apostolici tum Ordinarii.

Hisce praehabitis, coram infrascripto Cardinali, S. R. C. Praefecto atque causae Ponente, Antepraeparatoria Congregatio die 27 Octobris a. 1942, est habita, die 1 Februarii a. 1944 coram Cardinalibus Praeparatoria, Generalis denique coram Ssmo D. N. Pio Papa XII die 30 Ianuarii anni huius; in qua idem Cardinalis Ponens dubium proposuit discutiendum: *An constet de martyrio eiusque causa et de signis seu miraculis in casu et ad effectum de quo agitur.* Rmi Cardinales, Officiales Praelati, Patresque Consultores suum quisque suffragium edidit pro martyrio. Beatissimus vero Pater his sententiis attente auscultatis, ut suum proferret iudicium hanc selegit diem Dominicam Palmarum. Deum interim, ut mentem suam magis illustraret, deprecaturus.

Quocirca eumdem Cardinalem Ponentem, R. P. Salvatorem Natucci Fidei generalem Promotorem meque Secretarium arcessiri iussit, et, sacrosancto Eucharistico sacrificio religiosissime litato, pronunciavit: *Constare de martyrio et causa martyrii Ven. Servae Dei Mariae Goretti; quumque evidenter hoc constet, concessa, ad normam canonis Iuris Canonici 2116 § 2, dispensatione a miraculis seu signis, ad ulteriora procedi posse decrevit.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri atque in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 25 Martii a. 1945, Dominica Palmarum.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praen., *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

II

SURINAMEN. seu BUSCODUCEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVI DEI PETRI DONDERS, SACERDOTIS PROFESSI CONGREGATIONIS SSMI REDEMPTORIS.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate cum in Deum tum in proximum nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.

Sanctus Ecclesiae Doctor, Alfonsus Maria de Ligorio, cuius cor ardentissima in Deum et homines caritate summe urebatur, quae eum ad novam constituendam religiosam familiam in animarum omnium salutem impulit, veluti suae Congregationis insigne. Psalmistae verba praetulit: *Copiosa apud Eum redemptio* (Ps. 129). Et sapienter. « Non « solum enim, uti S. Robertus Bellarmino scribit, sperare debemus in « Deum, quoniam apud Eum *misericordia est,* sed etiam quoniam apud « Eundem *copiosa redemptio est.* Nam misericordia Dei, quae generi « humano misereri decreverat, ut iustitiae quoque satisfaceret, invenit « ipsa pretium magnum, sanguinem videlicet Unigeniti, qui redimeret « copiosissime omnes omnino captivos ... Dicitur autem haec redemptio « *copiosa* cum quia *propitiatio est pro peccatis nostris; et non tantum* « *nostris, sed etiam totius mundi* (I Io. 2, 2): tum quia non solum hoc « pretio redimimur a captivitate, sed etiam evehimur ad participatio- « nem hereditatis et regni, ut simus *heredes Dei, coheredes autem Chri-* « *sti* » (Rom. 8, 17). (Explan. in Ps. 129).

Petrus Donders divinae huius misericordiae et copiosae redemptionis insignis fuit administer, uti eius vita amplissime testatur.

Tilburgiae, in Buscoducensi dioecesi, die 27 Octobris a. D. 1909, ex Arnoldo Dionysio et Petronilla Iacoba van den Brekel, Petrus ortus est eodemque die baptizatus. Puerulus adhuc, se ad sacerdotium vocari prima persensit indicia. Verum, ut familiari inopiae occurreret, in textile opus per aliquot annos incubuit. Sui parochi opera famulatui in minori seminario ad « St. Michiels-Gestel » addictus, insimul humanioribus litteris addiscendis quantum potuit attendit. Ut sui voti compos fieret, prudentis viri consilio, in nonnullos religiosos Ordines

admitti tentavit, sed frustra: admissus autem in maius seminarium in « Herlaar », in quo philosophicis ac theologicis disciplinis sedulo attendit, die 5 Iulii a. 1841 sacerdotalem ordinationem accepit. Sequenti anno ad Hollandicam Guyanam profectus est, atque in Paramaribo Septembri mense pervenit.

Missionales labores tanta animi alacritate iniit, ut cito uti sanctus haberetur non modo a catholicis, sed etiam a protestantibus, iudaeis ac paganis: « Zelus eius, quidam testis asseverat, non novit limites, nisi « eos ex obedientia praescriptos. Si fatigatus redit ab itineribus in plan- « tationibus vel apud Indianos, tunc ei maius servitium non potest prae- « stari, quam ei concedere pueros erudire ... instructionem habere ».

Integros fere dies sub ardenti sole tropici extrahere, baptizando, confessiones audiendo, docendo, controversias componendo, peccatores arguendo, homines hebetis ingenii patienter tolerando, putidos odores e corporibus exhalantes hauriendo, molestis culicibus aliisque insectis vexari, famem, sitim, quorumcumque vitae commodorum privationem per plusquam quadraginta annos pati, nonnisi heroicae virtuti est tribuendum. Quae ad culmen pertigisse dicenda est, si perpendamus Servo Dei curam quoque leprosorum concreditam fuisse, atque attendamus ad miserrimam condicionem in qua infelices illi homines tunc versabantur, ab omnibus derelicti ac reiecti, sine curationibus, sine medicis adiumentis, sine spiritualibus solaciis. Atqui Servus Dei leprosis attendere, ac inservire, eorum corporale atque spirituale bonum intendens, in deliciis habuit. Quare *Leprosorum Apostolus* meruit appellari.

Ut necessaria ad tot tantosque labores exantlandos a Deo auxilia imploraret, iugi orationi, arctissimaeque paenitentiae operibus vacabat. Deus autem, ut sui fidelis Servi merita augeret, multis gravissimisque tentavit morbis angoribus doloribusque: sivit quoque eum iniuriis calumniisque impeti, quae omnia ipse imperturbato ac sereno animo pertulit: probe sciens copiosae divinae redemptionis fructum obtineri non posse, nisi quis Christo confixus sit cruci.

Deus autem fideli Servo uberrimos percipere fructus munificenter dedit. Plura enim centena infidelium baptizavit: plurimi sunt quos Deo et inter se reconciliavit, quos christiano matrimonio coniunxit, quos ab haeresi in Ecclesiae sinum reduxit, uno verbo quibus viam salutis aperuit.

Alia quoque gratia Deus Famulum suum dignatus est cumulare. Surinamensis missio anno 1865 a sacra Congregatione de Propaganda Fide Ssmi Redemptoris Congregationi fuit concredita. Complanata itaque fuit via ut Petrus votum a iuventute conceptum assequeretur. In

hanc itaque libentissime ob insignia eius merita admissus, tirocinio expleto, in festo S. Ioannis Baptistae anno 1867 religiosa vota maximo sui animi gaudio nuncupavit. Viginti alios annos in missione vixit splendidiora virtutum exempla praebens ad mortem usque, quam die 14 Ianuarii a. 1887 sanctissime, ut vixit, obivit. Virtutum fama nec non gratiarum seu miraculorum, qua vivens fruitus est, adeo post eius mortem increvit, ut annis 1900-1903 Ordinaria auctoritate cum in Vicariatu Apostolico Surinamen. tum in dioecesi Buscoducen. constructi sint processus. Scriptis approbatis, die 14 mensis Maii a. 1913 Pius Papa X fel. rec. commissionem Introductionis Causae signavit.

Apostolicis inquisitionibus peractis, pro eorum iuridica vi die 16 Iulii a. 1938 S. R. C. decretum edidit.

Servatis itaque de iure servandis, die 28 Octobris mensis a. 1941 coram subscripto Cardinali S. R. C. Praefecto et Causae Ponente Antepraeparatoria Comitia celebrata sunt; die 16 mensis Iunii a. 1942 habita sunt Praeparatoria; demum die 20 Aprilis anno 1943 Generalia coram Ssmo D. N. Pio Papa XII, in quibus idem Cardinalis dubium proposuit disceptandum: *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate cum in Deum tum in proximum nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur,* Rmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores suam quisque protulit sententiam, quam Beatissimus Pater attento animo benigne excepit: Suam vero proferre ad hanc diem Dominicam Palmarum distulit, ut ferventibus precibus a Deo lumen imploraret.

Quapropter, accitis ad Se subscripto Cardinali, R. P. Salvatore Natucci, Fidei Promotore generali meque Secretario, sacrosancto Missae sacrificio pientissime litato, edixit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate, Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis Venerabilis Servi Dei Petri Donders in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum rite promulgari ac in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 25 Martii, Dominica Palmarum, a. D. 1945.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praen., *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

III

NEAPOLITANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI CATHARINAE VOLPICELLI, FUNDATRICIS INSTITUTI ANCILLARUM A SACRO CORDE.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate cum in Deum tum in proximum nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.

« Cum se conspiciendum S. Margaritae Mariae exhiberet Christus, « ita Pius XI scribit, caritatis suae infinitatem praedicans, simul, mae- « rentis instar, tot tantasque sibi inustas ab ingratis hominibus iniurias « in haec verba conquestus est ... En Cor Illud — inquit — quod tan- « topere homines amavit beneficiisque omnibus cumulavit, quodque amo- « ri suo infinito non tantum redditam gratiam nullam invenit, at contra « oblivionem, neglectum, contumelias, easque ab iis etiam illatas non « nunquam, qui amoris peculiaris debito officioque tenerentur » (Enc. *Miserentissimus*. A. A. S. 1928 p. 173).

Divina hac querimonia commoti non pauci ex Ecclesiae sinu exorti sunt fideles, qui non modo propria ac individua actione, sed etiam sociali vinculo obstricti tot tantasque iniurias reparare contendunt.

Plura exinde religiosa Instituta, Sodalitates, Piae Uniones condita sunt, inter quas Pia Consociatio ab *Apostolatu orationis,* quae in Gallia a nonnullis Societatis Iesu presbyteris, elapso iam saeculo, constituta atque totum per orbem propagata multa millium millia sodalium numerat, uberrimosque fructus, Deo favente edit, est facile princeps.

Venerabilis Serva Dei Catharina Volpicelli ab ipso Sodalitatis huius altero conditore prima « zelatrix » pro Neapolitana Archidioecesi fuit renuntiata, utpote quae, ardentissimo erga divinum Iesu Cor amore flagrans, aptissima ei visa est ad hoc munus impigre perfecteque adimplendum : et coniectura eum non fefellit, ut mox aperiemus.

Die Sanctae Agneti Virgini et Martyri sacro, anno 1839, Neapoli e Petro Volpicelli ac Teresia Micheroux, divitiis ac vitae integritate praestantibus, filiola nata est, cui, in sacro baptismo, sequenti die ei collato, imposita sunt nomina : Maria Catharina, Iosepha, Anna, Gabriel-

la, Restituta, Gertrudes et Margarita. Sexennis gynecaeo S. Marcellini educanda traditur, in quo excellenti quum polleret ingenio, plurimum in litterariis, linguarum ac musicae studiis profecit. Nec minores in pietate progressiones fecit sub Margaritae Saladino disciplina, quae postea bene de Ecclesia meritum Institutum a S. Elisabeth nuncupatum condidit. Anno 1847 divinae synaxi primitus admittitur, sacroque Chrismate illinitur. Quattuor post annos domum rediit, pium servans vitae genus, dato quoque Tertio Ordini Franciscali nomine.

Oblatas nuptias firmiter respuit, caelesti sponso castitatis vinculo se devovens, religiosamque vitam amplecti exoptans. In quo proposito confirmando plurimum Venerabilis Ludovici a Casaurea consilium iuvit, qui eidem olim dixit: « Dies adveniet, quo libros claudes; Iesus vero « Cor suum tibi aperiet, in cuius prima pagina, secunda aliisque subse- « quentibus nil aliud leges, quam amorem, amorem, amorem ».

Perpetuis Sanctissimi Sacramenti Adoratricibus cooptari molita est, verum, contra votum, ob gravem quo tentata fuit morbum, claustrum relinquere coacta est: non sine inscrutabili Dei consilio, qui aliter de ea decreverat, uti postea comprobavit eventus. Interim, ad Apostolatus orationis normam mentemque, enixis orationibus, divino cultui, praesertim pro pauperioribus Ecclesiis, curando, operibusque caritatis totam se dedidit: immo expiatricem victimam Deo se obtulit.

Quoniam autem apostolico zelo cor eius ardebat — et caritas est diffusilis — ut in aliis quoque divinus hic ignis accenderetur, efficaciter est operata; quare merito, ut diximus, *Apostolatus orationis*, prima in Neapolitana civitate, *zelatrix* meruit constitui.

Utroque parente defuncto, liberior facta, impensiori studio haec omnia operabatur, cui aliae piissimae feminae se adiunxerunt. Sicque factum est ut, Archiepiscopo Servo Dei Cardinali Riario Sforza favente, prudentium quoque virorum consilio adhibito, *Instituti Ancillarum a Sacro Corde* anno 1865 fundamenta iecerit, regulasque conscripserit. Quod Institutum in varias dioeceses propagatum, anno 1890 ab Apostolica Sede decretum *Laudis* obtinuit; eius autem constitutiones approbatae fuere a. 1902 ac demum a. 1911 plenam approbationem sunt assecutae.

A Cardinali Archiepiscopo Superiorissa primum electa, semper postea ad mortem usque fuit in officio a Sodalibus confirmata; in quo exercendo mirabilis prudentiae ac fortitudinis specimina dedit, atque virtutibus omnibus cum theologalibus, tum cardinalibus eisque conexis ornatam se ostendit, quas sub humilitatis velo cooperire conabatur. At incassum. Sanctitate enim Dei Famulam praeditam esse aperte fassi

sunt Cardinales: Servus Dei Ruffo Scilla, Archiepiscopus, eiusque successor in Neapolitana sede Gulielmus Sanfelice, Monaco La Valletta ac Parocchi, Vicarii Leonis PP. XIII, Capecelatro Capuanus Archiepiscopus, Siciliano di Rende Beneventanus Archiepiscopus, atque Ioseph Maria Granniello: Ven. Ludovicus a Causaurea, non pauci Archiepiscopi aliique quamplures, praesertim ex utroque clero, vitae integritate ac prudentia praestantes, Quam famam ei conciliarunt quoque non pauca, ut ferunt, supernaturalia dona, quibus, ut videtur, voluit Deus fidelem suam Ancillam honestare.

Fatali morbo correpta, Ecclesiae sacramentis devotissime susceptis, Leonis PP. XIII benedictione roborata, die 28 Decembris a. 1894, purissimam animam Deo reddidit.

Sanctitatis fama, qua vivens claruit, non modo non defecit sed increvit; quare annis 1903-1905 Ordinaria auctoritate Informativi processus Neapoli fuere constructi super eadem fama, super scriptis ac cultu non praestito.

S. R. C. per decretum latum die 9 Decembris a. 1908, scriptis perpensis, cavit: *Nihil obstare quominus ad ulteriora procedatur.* Die autem 11 Ianuarii a. 1911 beatificationis Causa fuit introducta, Summusque Pontifex Benedictus XV fel. rec. *Commissionem* sua manu subsignavit.

Edito dein die 8 Iulii 1914 decreto super oboedientia Urbani VIII legibus, cultum Servis Dei prohibentibus, peractisque Apostolicis inquisitionibus super fama in genere, de cuius relevantia et validitate constat ex decreto die 28 Iunii a. 1922, deinde super virtutibus et miraculis in specie, atque recognita per decretum diei 8 Augusti 1937, iuridica vi cum Ordinarii tum Apostolici processuum, servatisque omnibus de iure servandis, deventum est ad disceptandum super Servae Dei virtutibus. Antepraeparatoria itaque Congregatio coram Rmo Cardinali Ianuario Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopo Ostien. et Albanen., Causae Ponente seu Relatore, die 14 Aprilis a. 1942 habita fuit; Praeparatoria die 6 Iulii a. 1943; Nova Praeparatoria die 18 Aprilis elapso anno; Generalis demum coram Ssmo D. N. Pio Papa XII die 30 mensis Ianuarii anni huius; in qua idem Cardinalis Relator dubium proposuit discutiendum: *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate cum in Deum tum in proximum nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.* Rmi Cardinales, Officiales Praelati, Patresque Consultores suum panderunt suffragium, quod Beatissimus Pater benigne auscultavit, suam autem edere senten-

tiam distulit, ut Suis praesentiumque precibus lumen a Deo imploraret.

Hanc porro selegit Dominicam, maioris hebdomadae initium, ut suam aperiret mentem.

Quocirca Rmos Cardinales Ponentem ac infrascriptum S. R. C. Praefectum nec non R. P. Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem generalem, meque S. R. C. Secretarium arcessiri iussit, divinaque Hostia religiosissime oblata, edixit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate cum in Deum, tum in proximum nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis Venerabilis Servae Dei Catharinae Volpicelli in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri atque in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 25 Martii, Dominica Palmarum, a. D. 1945.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praen., *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

IV

SABINEN. seu RIPANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVI DEI IOANNIS A SPIRITU SANCTO, SACERDOTIS PROFESSI CONGREGATIONIS CLERICORUM EXCALCEATORUM SS. CRUCIS ET PASSIONIS D. N. I. C.

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Viret opima ac floret inclita Clericorum Excalceatorum Sanctissimae Crucis et Passionis Domini Nostri Iesu Christi Congregatio. Numquam enim destitit ab ipsa fundatione, quae vix ante duo saecula locum habuit, suavissimis floribus ac uberibus sanctitatis fructibus catholicam Ecclesiam ditare.

Duo namque ex eadem sunt iam canonizatione honestati, nimirum Paulus a Cruce, eius conditor, et Gabriel a Virgine Perdolente; Vincentius Strambi, Episcopus, inter Beatos annumeratus est; plurimique alii horum honorum candidati videntur.

Inter quos Ioannes a Spiritu Sancto est accensendus.

Et sane. In oppido « S. Benedetto del Tronto », in Ripana dioecesi, e Iosepho Bruni et Maria Antonia Marconi, piis honestisque coniugibus, proximus a postremo ex novem filiis, die 8 Augusti a. 1882 natus est Iacobus, sequenti die baptismi sacramento regeneratus. Sacrae Confirmationis oleo die 23 Octobris a. 1883 linitus est. Sub materna Filiarum a caritate S. Vincentii a Paulo disciplina puerulus prima litterarum rudimenta posuit. A nono ad decimum quartum annum ab optimo quodam sacerdote in suum familiarem assumptus fuit, publicas interim scholas frequentans, quarum cursum cum laude confecit. Duodecennis ad Corporis Christi participationem primitus fuit admissus.

Pietas, quam parentum exemplum, eiusdemque sacerdotis industria, atque sacramentorum frequentia nutriverant, religiosam vocationem in eo maturavit.

Lectio rerum gestarum a S. Paulo a Cruce amorem in eius corde erga D. N. I. C. passionem atque optatum ubertatem eius populo praedicandi, excitavit. Exinde ardentissimum studium Congregationem ab eodem Sancto conditam amplectendi. Voti compos factus, die 29 Maii a. 1896 inter eiusdem alumnos apud oppidum « Rocca di Papa » in Tusculana dioecesi, adscriptus est, ubi primis humanioribus studiis vacavit.

Canonicam aetatem assecutus, tyrocinium in S. Eutychii M. recessu in Hortana dioecesi inchoavit, assumpto nomine Ioanne a Spiritu Sancto; religiosa vero vota Augusto mense anni 1898 in Moriconensi recessu in Sabinis nuncupavit.

Humaniores disciplinas absolvit, philosophicas dein ac theologicas coluit, sacrisque initiatus fuit, taeterrimo interim morbo tentatus.

Extraordinaria dispensatione super aetatis defectu, intuitu virtutum, quae in eo fulgebant, nec non desperatae valetudinis a Papa Pio X rec. mem. concessa, ad Sacerdotium, die 4 Dec. a. 1904 fuit promotus. Die 12 Decembris mensis sequenti anno in Moriconensi recessu purissimam animam, phthisi consumptus, Domino reddidit.

Consummatus in brevi Ioannes *explevit tempora multa* (Sap. 4, 13). Ipse enim, etsi novem tantum annos in religiosa Congregatione vixit, in virtutibus omnibus, quae religiosum ac sacerdotem decent, exercendis plurimos consodales aetate provectos, pietate praeclaros, sacrisque ministeriis egregios, ut videtur, aequavit, nisi quoque superavit.

Sanctitatis enim aestimationem vivens sibi comparavit, quae post eius obitum ansam dedit ut canonicae super fama sanctitatis, super scriptis ac oboedientia Urbanianis decretis cultum Servis Dei prohibentibus, inquisitiones in Ripana ac Aesina Curia, nec non per rogatoriales litteras in Grossetana, ac Tudertina annis 1930-1934 fierent.

Plures interim a duobus Cardinalibus, a nonnullis Archiepiscopis, Episcopis, Clero ac populo natalis Servi Dei oppidi, item Clero ac populo Ripano aliisque Summo Pontifici oblatae sunt litterae Causae beatificationis introductionem postulantes.

Scriptis perpensis, Sacra haec Congregatio die 1 Iunii 1938 decrevit nihil obstare, quominus ad ulteriora procedi posset.

Servatis itaque omnibus de iure servandis, Revmo P. Aegidio a Sacris Cordibus, eiusdem Congregationis generali Postulatore, instante, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis coetu, die 8 huius mensis habito, Emus ac Revmus Cardinalis Raphaël Carolus Rossi, causae Ponens, dubium proposuit disceptandum: *An signanda sit Commissio Introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur,* atque de ea retulit. Emi ac Revmi Cardinales, relatione hac, nec non Officialium Praelatorum ac R. P. D. Salvatoris Natucci, Fidei Promotoris generalis, suffragiis auditis, rescribere censuerunt: *Signandam esse commissionem, si Ssmo placuerit.*

Die 11 eiusdem mensis, subscripto Cardinali referente, Ssmus D. N. Pius Papa XII, rescriptum Emorum Patrum ratum habens, *Commissionem Introductionis Causae Servi Dei Ioannis a Spiritu Sancto* sua manu subsignare dignatus est.

Datum Romae, die 11 Maii a. D. 1945.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praen., *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietto della Segreteria di Stato in data 25 agosto 1945, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare il Reverendissimo Padre Alberto Colunga, dell'Ordine dei Frati Predicatori, *Consultore della Commissione Pontificia per gli Studi Biblici*.

Parimenti con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri segreti soprannumerari di S. S.:

29 gennaio 1945. Monsig. Pietro Brisse, della diocesi di Evansville
» » » Monsig. Paolo Deery, della medesima diocesi.
4 febbraio » Monsig. Giovanni Giuseppe Daly, dell'archidiocesi di Baltimora e Washington.
» » » Monsig. Agostino Tommaso Morier, della diocesi di Camden.
» » » Monsig. Giuseppe Przudzik, della diocesi di Lincoln.
» » » Monsig. Giorgio J. Schuster, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Alfonso Bertman, della diocesi di Springfield (Illinois).
» » » Monsig. Guglielmo J. Cassin, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Jesse L. Gatton, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Guglielmo F. Hang, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Bernardo Manning, della medesima diocesi.
18 marzo » Monsig. Giuseppe Pierangeli, della diocesi di Città di Castello.
» » » Monsig. Beniamino Schivo, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Antonio Gaudenzi, della diocesi di Faenza.
30 » » Monsig. Giovanni Lacidogna, della diocesi di Andria.
3 maggio » Monsig. Vittorio Linfante, dell'archidiocesi di Benevento.
» » » Monsig. Emilio Del Bianco, dell'archidiocesi di Fermo.
» » » Monsig. Saverio Battista, dell'archidiocesi di Gaeta.
» » » Monsig. Giuseppe Psaila Cumbo, dell'archidiocesi di Malta.

3 maggio 1945. Monsig. Giovanni Cavalli, della diocesi di Padova.
» » » Monsig. Giocondo Marchesini, dell'archidiocesi di Perugia.
» » » Monsig. Nazareno Fabietti, della diocesi di Senigallia.
10 » » Monsig. Giulio Ghidoni, della diocesi di Mantova.
11 » » Monsig. Luigi Ferrara, della diocesi di Venosa.
17 » » Monsig. Francesco D'Ardia, dell'archidiocesi di Palermo.
8 giugno » Monsig. Giovanni Bapst, della diocesi di Fort Wayne.
» » » Monsig. Giovanni Biernarki, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giacomo J. Connelly, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Carlo J. Felter, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Clemente N. Mlinarovich, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giovanni F. Nadolmy, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giuseppe Seimetz, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giovanni A. Sullivan, della medesima diocesi.
14 » » Monsig. Gaetano Maone, della diocesi di Cariati.
» » » Monsig. Gioacchino Carreira, della diocesi di Leiria.
» » » Monsig. Antonio D'Antini, della diocesi di Lucera.
» » » Monsig. Pietro Mazzilli, della diocesi di Tricarico.
20 » » Monsig. Giuseppe Castagnetti, della diocesi di Piacenza.
30 » » Monsig. Carlo Laderchi, della diocesi di Faenza.
» » » Monsig. Aroldo Bolton, della diocesi di Saginaw.
» » » Monsig. Aurelio Pellegrini, della diocesi di Sutri.
2 luglio » Monsig. Giuseppe Berdicek, della diocesi di Hradec Králové.
» » » Monsig. Giovanni Baro, della diocesi di Ivrea.
» » » Monsig. Giuseppe D'Achille, della diocesi di Sulmona.
12 » » Monsig. Atilio Esteves de Carvalho, dell'archidiocesi di Lorenzo Marques.
» » » Monsig. Antonio Maldonado Pires, della medesima archidiocesi.
19 » » Monsig. Antonio Casertano, dell'archidiocesi di Capua.
» » » Monsig. Gino Caciagli, della diocesi di Colle di Val d'Elsa.
» » » Monsig. Stefano Marini, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giuseppe Palazzuoli, della medesima diocesi.
2 agosto » Monsig. Pasquale Guarini, della diocesi di Monopoli.
» » » Monsig. Celestino Taranta, della diocesi di Sulmona.
5 settembre » Monsig. Andrea Cozzolino, dell'archidiocesi di Napoli.
» » » Monsig. Giovanni Di Tuoro, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Antonio Fevola, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Egidio Jovine, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Giuseppe Muller, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Felice Pirozzi, della medesima archidiocesi.

Cameriere segreto soprannumerario di spada e cappa di S. S.:

29 giugno 1945. Il sig. Conte Giuseppe Andrea Bizzarri (Roma).

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

11 maggio 1945. Monsig. Giuseppe Andretta, della diocesi di Melfi e Rapolla.
» » » Monsig. Vitangelo Solimei, della diocesi di Venosa.
30 giugno » Monsig. Giovanni Birelli, della diocesi di Acireale.
» » » Monsig. Carmelo Gresti, della medesima diocesi.

NECROLOGIO

19 gennaio 1945. Monsig. Claudio Volio, Arcivescovo tit. di Soteropoli.
29 giugno » Monsig. Francesco Campos y Angeles, Vescovo tit. di Doara.
6 luglio » Emo Signor Card. Adolfo Bertram, del titolo di S. Agnese, Arcivescovo di Breslavia.
12 » » Monsig. Francesco Irazola, Vescovo tit. di Flaviade.
28 » » Monsig. Pietro Vera y Zuria, Arcivescovo di Puebla de los Angeles.
10 agosto » Monsig. Edoardo Luigi Antonio Leys, Vescovo tit. di Uzali.
11 » » Monsig. Daniele Desmond, Vescovo di Alexandria nella Luisiana.
16 » » Monsig. Feliciano Rocha Pizzarro, Vescovo di Plasencia.
17 » » Monsig. Giuseppe d'Alessio, Vescovo tit. di Sidone.
25 » » Monsig. Pietro Tesauri, Arcivescovo di Lanciano e Amministratore Apostolico di Ortona.
26 » » Monsig. Alfredo Odilone Comtois, Vescovo di Trois-Rivières.
29 » » Monsig. Carlo Giuseppe Eugenio Ruch, Vescovo di Strasburgo.
6 settembre » Monsig. Gregorio Diamare, Vescovo tit. di Costanza di Arabia, Abate di Montecassino e Preposito di Atina.
17 » » Monsig. Pietro Pasquale Francesco Farfan, Arcivescovo di Lima.
18 » » Monsig. Raimondo Albino Netzhammer, Arcivescovo tit. di Anazarbo.

BIBLIA SACRA

Iuxta latinam vulgatam versionem ad codicum fidem iussu Pii PP. XII, cura et studio Monachorum abbatiae Pont. Sancti Hieronymi in Urbe Ordinis Sancti Benedicti edita.

— LIBER MALACHIM ex interpretatione Sancti Hieronymi cum variis capitulorum seriebus (1945). **Tomus VI** In-4°, pp. VIII-354 . . . . . 700 —

Tomus I – Liber Genesis. . . . . L. 500
Tomus II – Libri Exodi et Levitici . . . . . L. 500
Tomus III – Libri Numerorum et Deuteronomii . . . . . L. 500
Tomus IV – Libri Iosue, Iudicum, Ruth. . . . . L. 500
Tomus V – Libri Samuhelis . . . . . L. 500

DISCORSI DEL SOMMO PONTEFICE PIO XII

Vol. I – Dal 3 marzo 1939 al 5 maggio 1940. Pp. 421 e ritratto di Sua Santità (2ª ed.) in rist.
Vol. II – Dall'8 maggio 1940 all'8 ottobre. 1941 Pp. 440 e ritratto di Sua Santità . . . L. 80
Vol. III – Dal 26 ott. 1941 al 26 dicembre 1942. Pp. 404 e ritratto di Sua Santità . . . L. 80
Vol. IV – Dall'11 genn. 1943 al 28 dicembre 1943. Pp. 263 e ritratto di Sua Santità . . . L. 60

MONS. G. FERRETTO

NOTE STORICO-BIBLIOGRAFICHE DI ARCHEOLOGIA CRISTIANA

Città del Vaticano, Tipografia Poliglotta Vaticana, 1942, pp. XI-484, 125 illustrazioni
Roma L. 280 — Italia L. 290 — Estero L. 300 —

AMLETI TONDINI
ANTISTITIS URBANI

INSCRIPTIONUM FASCICULUS

In-8° L. 20 —

ARMANDO SCHIAVO:

VILLA DORIA PAMPHILJ. In-4°, rilegato, pp. 152 con 13 tricromie e 110 figure L. 450
MONUMENTI DI PIENZA. In-4°, rilegato, pp. 112 con 1 tricromia e 90 figure L. 300
LA DONNA NELLE SCULTURE DEL BERNINI. In-4°, rilegato, pp. 96 con 65 figure L. 300

CODICIS IURIS CANONICI INTERPRETATIONES AUTHENTICAE

seu responsa a Pontificia Commissione ad Codicis canones authentice interpretandos ab anno 1917 ad annum 1935 data, et in unum collecta atque Romanorum Pontificum actis et Romanae Curiae decisionibus aucta (pag. VIII-228), addita *Appendice* ab anno 1936 ad annum 1940 (pag. VIII-38). In Roma L. 24 —. In Italia L. 30 —.

— **Appendix**, ab anno 1936 ad annum 1940 (pag. VIII-38), in-8°. In Roma L. 4 —. In Italia L. 5 —

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
ORDO DIVINI OFFICII RECITANDI sacrique peragendi iuxta kalendarium Universalis Ecclesiae pro anno Domini 1946	60 —	65 —	70 —
REGULAE SERVANDAE in iudiciis apud Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, promulgatae die VI mensis Martii MCMXII (Nova impressio)	10 —	12 —	14 —

Veneunt Romae apud Admin. Commentarii Officialis "**Acta Apostolicae Sedis**"
(*Libreria Vaticana - Città del Vaticano — c/c postale N. 1-16792*)

In corso di stampa:

IL MESSALINO ROMANO PER I FEDELI
IL MESSALINO FESTIVO PER I FEDELI

A cura del **P. D. Placido Tommaso Lugano O. S. B.** abate di S. Maria Nova di Roma. Ital.-latino, formato cm. 9,5×14,7.

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
DISCORSI E RADIOMESSAGGI DI S. S. PIO XII			
Volume V. Quinto anno di Pontificato, dal 2 marzo 1943 al 1° marzo 1944	80 —	95 —	
Volume VI. Sesto anno di Pontificato, dal 2 marzo 1944 al 1° marzo 1945	200 —		
IL VOLTO DELLA CHIESA. Manuale per i laici. Moderna visione di tutto il complesso costituzionale della Chiesa e della sua attività nel mondo contemporaneo. In brochure	160 —		
— In carta distinta e cartonato	210 —		
BACCI ANTONII **VARIA LATINITATIS SCRIPTA.** Inscriptiones, Orationes, Epistulae eorumque **LEXICON** vocabulorum, quae difficilius latine redduntur (pp. 474). **LEXICON**, quod hoc volumine continetur (pp. 318), latinitatis cultoribus valde utile est, cum vocabula latine reddat, quae nostra haec aetas ad res novas significandas invexit	90 —	97 —	100 —
MASSIMI Card. MASSIMO **LA NOSTRA FEDE. Le basi o la sintesi del domma cattolico.** In-12°, pp. 323 (Sesta edizione).	80 —	83 —	85 —
MASSIMI Card. MASSIMO **LA NOSTRA LEGGE. Le basi o la sintesi della morale cattolica.** In-12°, pp. 320. *Esposizione breve e chiara della dottrina cattolica per le persone colte.*	40 —	43 —	45 —
PSALTERIUM BREVIARII ROMANI cum excerptis e communi Sanctorum secundum novam e textibus primigeniis interpretationem latinam PII PAPAE XII auctoritate editum, Editio Typica (1945). In-12° caratteri rosso-neri, pp. VIII-424, sciolto	300 —	310 —	330 —
— In brochure, copertina in cartoncino flessibile	330 —	340 —	350 —
— Rilegato in tela nera con busta	430 —	440 —	450 —
BIBLIORUM SACRORUM iuxta vulgatam Clementinam. NOVA EDITIO breviario perpetuo et concordantiis aucta, adnotatis etiam locis, qui in monumentis Fidei sollemnioribus et in Liturgia Romana usurpari consueverunt - Curavit ALOISIUS GRAMATICA et nunc typis Vaticanis iterum impressit, in-8°, pp. XVI-1186. (C) In charta tenaci, religatum linteo, titulo aureo	500 —	—	—
S. ROMANAE ROTAE DECISIONES seu Sententiae, cura eiusdem S. Tribunalis editae, in-8°; Vol. XV (1923) — Vol. XVI (1924) — Vol. XVII (1925) — Vol. XVIII (1926) — Vol. XIX (1927) — Vol. XX (1928) — Vol. XXI (1929) — Vol. XXII (1930) — Vol. XXIII (1931) — Vol. XXIV (1932) — Vol. XXV (1933) — Vol. XXVI (1934) — Vol. XXVII (1935). Ciascun volume	400 —	—	—
— Vol. XXVIII (1936)	500 —	—	—
— Vol. XXIX (1937)	800 —	—	—

Vengono Romae apud Admin. Commentarii Officialis **"Acta Apostolicae Sedis"**
(Libreria Vaticana - Città del Vaticano — c/c postale N. 1-16722)